

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

A. 1558.

quæ inimici nostri delerè conantur. Bene & feliciter vale. Die Sexto Junii 1558.

Philippus Melanthon.

LXII.

S Perpetuas tuas occupationes, mi Marpachi, habeo perspectas: quo æquior tibi sum, etiamsi scribas rarius. Addo, quod etiam tacentem scio charitatem erga Sulcerum firmam retinere. De Ecclesiæ nostræ statu nihil est, quod magnopere scribam; idem enim est, qui fuit pridem. Disciplinam desideramus cujus nomine Magistratum interpellavimus, qui licet placide postulationem accepit, deliberationem tamen de propositis capitibus longius protrahit, quàm vellemus. Et metuimus, ne, ut sunt tempora & mores, minus sit ex voto nostro responsurus. Videmus enim, quam habeantur molesta, quæ quoquo modo ex Ecclesiastica autoritate, licentiæ passim dominantis coercitionem spectant; dumq; tyrannidem Papæ metuunt, pleriq; hujum Christi suave refugiunt. Declarat hoc ipsum recens Bernensium meorum exemplum, quorum sententia admodum severa fratres pios percelluit, Lausanenses, quam non profus irritum eum etiam conatum extitisse sperem, eò quod accuratorem inspectionem per censores Ecclesiasticos se procuraturum Magistratus receperit. Pacem & consensum Vobis isthic obtigisse per Dei gratiam, valde gaudeo, posteaquam Collegæ vox obticuit; & precor Dominum Jesum, ut id bonum diuturnum vobis esse velit, certe salutare, & ad reformationem Ecclesiæ puriorem, non esse efficax non potest. Gratum autem, mi frater, feceris, si vel paucis me de rebus vestris edoceas per literas; sed & de Ecclesiis in Palatinatu, tuæ fidei commissis. Qui literas ad te perfert, M. Benedictus Aretius, Bernensis Professor est, Vir eruditione & virtutibus eximius, & de ministerio, symbolis, aliisq; religionis puræ capitibus, synceriter sentiens. Ex quo cognosces, quid reipublicæ Bernensis nomine quærat. Versatus est aliquando in Collegio vestro. Commendo eum tibi, ut, si qua possis, consilio juves, qui id rectissimè potes & scio voles etiam. Vale, Basil. 9. Septembris Anno 58.

Tuus ex animo

Sulcerus.

LXIII.

S Multis nominibus literæ me tuæ refecerunt, Marpachi, frater in Domino colendissime, eò quod de Magdeburgensis Episcopi pia cum civitate conven-

L